

Umg.

IV A 25



P. III. 5
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 25.

SIGNAT. MDCCCXIII.

n. A



ORATIO SECUNDA.

DE SVBIECTO VIR-
TVTVM, HOC EST, DE ANIMA
PVTA, DE ILLIS FVNCTIONIBVS, QVARVM
adminiculo, Vitæ, Sensuum, Memorix, In-
tellectus, Voluntatisq; operatio
efflorescit.

Habita

à

M. PETRO STÆRMONTIO,
Ill. Pr. Sup. A. Al.

IN CELEBERRIMA ACADEMIA VVI-
tebergensi, in Auditorio Majore, Collegij novi,
mense Augusto.



VVITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

ADMODVM REVEREN-
DO ET CLARISSIMO VIRO, Dn. IO-
HANNI STREITBERGERO, S. Th. Doctore,
nec non Superioris Marchionatus Bran-
deburgici Episcopo generali.

SPECTABILI AC REVEREN-
DO VIRO, Dn. M. NICOLAO GRAMMANO,
*Ecclesie Culmbacensis Praeposito, pietate, eru-
ditione, experientiaq; cultissimo.*

ORNATISSIMO SVAVISSIMOQUE
Sponso, Dn. M. HENRICO HAIN, Gymnasij
Culmbacensis Rectori doctissimo.

*Dominis & amicis suis inclutis, pro liberali benevolentia,
benevolaq; liberalitate, oratiunculam hanc offert &
dedicat, grati animi signa praebens.*

M. Petrus Stærmontius.



Nonam consilio factum esse putatis, Aud orn.
quod hominum genus erga externā formā tan-
topere afficiatur in rebus penē universis. atq; id
quod principale est animadvertāt pauci? Quo-
tus quisq; est quem ad se non invitet atq; adeo
pertrahat Helenarum pulcritudo? quā facile flectuntur
Juvenum ocelli, si elegantem facie, ore venustam, sermone li-
heralem persentiscant Iunonem? Orpheus aliquis plectra
moveat, aut suave edat carmen Musarum chorus; spectatū
venient & saxa, & homines. Inst aurei epulas, suasq; jactitet
opes M. Crassus; actutum praesto aderit juvenum, virorum,
senumq; frequentia. Laudet suas voluptates Epicurus, prob
Dij, quā multos is habebit sectatores! Prodeat etiam ex
adverso Diogenes quidam, optimarum virtutum custos, sa-
nioris PHILOSOPHIAE sectator, multum alioqui obser-
vandum ob vitā integritatem: at simplicissimo ac planē Phi-
losophico habitu ornatus, ineleganti fortassis facie, sermone
uscunq; serio utens: hunc ipsum, neq; propter disciplinam, neq;
propter virtutes, neq; propter vitā tranquillitatem, homines,
ut par est, colent. Tanta est hominum promptitudo erga
sensuum objecta: tanta incuria in pervestiganda virtute.
Quare A. O. cum me non lateat, plerosq; vestrum ad Virtu-
tes jampridem animum adjecisse, atq; aliquo fortassis inci-
tamento tantum opus habere: plerosq; verò quasi dubios ad-

huc herere in bivio, consultumne sit animum ad virtutes applicare, nec ne? Vtrisq; satisfaciendum autumo: illos submonendo, ut alacres pergant de virtute in virtutem: hos invitando, ut cognito virtutum domicilio, iter rectè ad illud ingrediantur. Animis igitur adeste presentibus, A. O. atq; me de domicilio virtutum, hoc est, de Anima, & de ipsius Virtutibus differentem, benevola cum attentione, & attentata cum benevolentia audiatis.

Quantum umbra cedit, rebus ipsis, & quantum luci caligo: tantum antecellit virtus res penè universas, quæ in hominum possessionem venire possunt. Videmus sanè inter homines alios eleganti præditos forma: sed, vel senio consumitur, vel morbo deflorescit apparens istud bonum. Sunt non ita pauci, qui opibus valent, & ingentem æris vim cumulant: at vitiorum semina serè esse solent divitiæ. Prodest sanè robur cum prudentia conjunctum: qua neglecta, sæpe illud obfuit multis. Sola autem virtus neq; in senectute deserit; nec morbo palescit: opibus præstantior est, fortior viro armato. Pulcerrimarum virtutum quondam Professor Isocrates, Herculis & Thesei virtutes commemorans, tantum ipsos gloria decus reportasse, ait, ut nulla temporis longinquitas illorum memoriam abolere potuerit. Et Demoniacum, ut parentis sui insisteret vestigijs, idem adhortans, à virtutibus, quibus se totum devoverat Hipponicus, auspicatur

catur orationem. Non, non sic, inquit, egit atatem Hippo-
nicus genitor tuus à Demonice, ut vel virtutem negligeret
vel ignavia sese dederet: Sed & laboribus corpus exercebat,
& animo pericula subibat multa: neq; divitias nimis arcte
complectebatur, sed bonis suis fruebatur, ut mortalis: splen-
didus quidem erat et magnificus; at etiam benignus & ami-
cus: qui pluris faciebat virtutum studiosos, quam sanguinis
necessitate conjunctos; existimabat enim ad amicitiam con-
stituendam plus esse virium in moribus, quam in genere. ha-
tenuis Isocrates. Omnium Philosophorum facile Prin-
ceps Aristoteles sedem & domicilium Virtutum statuit esse
Animam. Quemadmodum, inquit, per Animam vivi-
mus: Ita per animam virtutem honestè vivimus, bonæ vitæ
observamus leges, ac tandem comite virtute felicitatem con-
sequimur. Antequam igitur de virtutibus disseram, de ea-
rum subjecto, sede, seu domicilio, hoc est, de Anima, quædam
dicenda censeo. Nemo vestrum dubitat, A. O: animam
hominis immortalem esse, atq; in fragili vasculo à nobis cir-
circumferri? quis nescit, DEUM fabricatorem Mundi hu-
jus, protoplasto generis humani spiritum indidisse, qui infini-
tis gradibus præstantior esset corpore, qui instar gubernatoris
optimi, cymbam hanc carneam, horrendas sæpè procellas in
naufrago isto pelago subeuntem, regeret? Quod si rerum o-
mnium arbiter Deus, fatali sententia evocet animulas de

suis ergastulis, haud levibus conjecturis assequimur, eas paulatim quasdam sui diversorij partes deserere, donec corporeis soluta nexibus aliud vitæ genus sortiantur. Vix etiam præterit dies unus, quo non saluberrimis cibis reparentur nostra corpora; in qua refectioe Anima nihil omnino in sua nature augmentum convertit, sed in solius corporis commodum, quicquid epularum sumsit, officiosissime dissipat: Et quamvis corpus continua alimenti successione incrementa sumat, Et adventante senio rursum deflorescat: nulla tamen istiusmodi in Animam cadunt vicissitudines, nulli accretionis gradus: sed una eademque, semper absque sui mutatione perseverat. Adeo mirabilis est Anima natura, vis atque præstantia, ut nullo dicendi genere eam satis explicare possimus. Atque ut, ommissa vegetatrice vi, pauca tantum dicam de organo sensuum. quis vestrum, A. O. non admiratur inscrutabilem penè oculorum structuram, quibus quasi luminibus res universas perlustramus? quibus diversa rerum imagines disparibus tinctæ coloribus conspiciuntur? quid aquæ demulcet hominis pectus, atque fidium aut jucundissimarum vocum concentus? qui in tornatiles aurium sinus illabens, merore abreptos revocat spiritus, læticiaque perfundit miserabile corpus. quanta sunt illa voluptates, quas ex epularum apparatus percipere palatus solet? nihil dicam de illis suavitatibus, quas ex radicum, herbarum, florumque fragrantia olfactus

olfactus persentiscit. Nihil de illis delectamentis, quibus
ob mutuum contactum, dulcissimosque amplexus homines
mirifice delectantur. Cum nulli jam dubium esse possit,
Animam illarum voluptatum commodorumque omnium
esse propagatricem: neque organa sensuum naturali suo pon-
dere ferri in objecta: nec hac illa cedere posse, nisi ineffabili
quadam virtute utraq; conjungeret Anima. Dixi de dua-
bus Animæ facultatibus, quarum altera plantis: altera bel-
luis quoque inest. antequam autem ad rationalem Animam
progrediar, pauca quadam de Memoria dicenda occurrunt.
D. Aug. 10. Confess. lib. de memorandi vi, inquit; Omnia
recipit recolenda cum opus est, & grandis ad retractandum
memoria recessus. omnia suis quaque foribus intrant ad
eam, & in ea reponuntur, & ineffabiles sinus ejus. Et
quid quæso conduceret nobis diversissimarum rerum simul-
acra perlustrasse sensibus, si illa continuo evanescerent?
quàm parum omnino referret, tam multa legere, audire,
animadvertere, nisi illa memoria tradita, quasi tabellis re-
condita asservare possemus? fuit profecto nobis à D E O
adversus rerum ignorantiam & oblivionem datum reme-
dium atque subsidium planè necessarium, Memoria.
Tanta verò tamque recondita memoria vis habetur, ut ea
unum sit ex ijs, quæ nos mirari voluit natura quis non mira-
tur, quæ ratione memoria in suis thesauris tam multa tamque
diversa

diversa excipiat, neq; tamen ea confundat, sed discretim sincera conseruet? quo tandem nexu, quæ apud illam tanquam commissum repetituri deposuimus, ita collocata & ordinata sint, & ut unumquodq; separatim, & cuncta confertim, & singula ordinatim exposcere & digerere valeamus? quo pacto fiat, ut quis ex acervo specierum per horæ spatium, ita ut prius audiendi patientia, quam memoriæ fides deficiat, orationem continuat a serie, alia ex alijs conjungens suo loco depromat: nec in ipsa depromtione atq; recensione, aut etiam auscultatione, imago una aliam impediatur aut interturbetur? quo item modo aliàs, cum poscimus ut proferatur quod volumus, quadam præaltè condita oblitescant, nec se foras dent, sed eorum loco alia prosiliant in mediũ, quasi rogantia, num ipsa querantur: alia confestim imperturbata facie in apertum exeant: alia paulò post tanquam de abstrusioribus receptaculis eruantur. Hæc & alia Memoria miracula, Anima naturali sua solertia in nobis efficit, quotiescunq; rerum sensibus perceptarum ideas ad memoriæ penetralia transmittit. Tempus est, ut ad proprias Animæ rationales facultates festinet oratio. Illud immotum retinete, A. O. primo homini duntaxat à Deo inspiratam fuisse Animam, quæ conditoris sui gereret effigiem, quæ ipsum agnosceret, coleret, & in ipso præ Creaturis omnibus conquiesceret. Præclaris haud dubiò ornamentis virtutũ, præclara intelligendi luce,

luce, & mira obsequendi promptitudine prædita fuit hominis
Anima prius quam posthabito Conditoris sui mandato, tur-
pi se macula contaminaret, atq; panarum, proh nunquam fi-
niendarum, ream ageret. Verùm de luctuosa hac humani
generis clade, nihil hoc loco dicendum puto.

Anima rationalis qualis hodie in nobis propagatur,
quadam intelligendi vi pollet, & voluntate; quibus facul-
tatibus media constituitur inter beluas, & Spiritus. Intelli-
gendi vis nobilissima Anima facultas est, quæ ex conditarũ
rerum apprehensione, etiam ad Dei præpotentis noticiam ho-
mines deducere potuit. Accedit præterea, quod intellectus
adminiculo Scientias & Artes acquiramus universas, ea
conditione ac lege: nihil ut sit in intellectu, quod non prius
fuerit in sensu. Nec debuit Natura parens exortem ratio-
nis condere hominem, cujus nimirum gratia spectabilem
hunc Mundum procreavit; cui singulari beneficio omnia
subjecit; quem quodammodo finem universalem corporeæ
naturæ constituit, ut jure insitæ nobilitatis, & eminentioris
formæ prærogativa inferioris notæ creaturis præesset.

Atq; hæc fortassis à nostro instituto videntur aliena, qui-
bus propositum erat de virtute agere, nisi voluntatis ea cum
intellectu intercederet necessitudo, ut omnis virtus à volun-
tate profecta rectæ rationis sit conformis: quod enim præter
rationem sit, id virtutis nomen haud meretur, quantumvis

B

ex

ex voluntatis electione censeatur. haecenus de Intellectu. sequitur ut prius de voluntate, quam de virtute verba faciamus. Voluntas est libera Animae facultas, ad prosequenda ea quae cum morali honestate sunt conjuncta, & quaecunque huic adversantur, repudianda: versatur autem potissimum in domandis ijs passionibus, quas jam jam sum commemoraturus.

Sunt in quovis animali impetus quidam natura, qui in homine παθήσιν seu passiones vocantur; quae continuum bellum cum recta ratione gerunt: & instar seditiosorum civium, qui occultis conjurationibus bellisque intestinis Rempub. infestant, adversus illam perpetuo insurgunt. Non tamen fuit una omnium Philosophorum de passionibus sententia; Existimabat enim Plato mentem quidem capitis arcem incolere: irascentiam vero procul a ratione ad domicilium cordis deductam esse: Cupidinem inferas abdominis sedes occupasse; ut popinae quaedam & diversoria nequitiae atque luxuria relegatam vero idcirco longius a sapientia hanc parietem videri, ne importuna vicinitas rationem perturbaret. Alcinous Philosophus scribit, Juniores Deos qui tornandi humani corporis Curam susceperant, cum in capite rationis & sapientiae domicilium constituisent, ne pars illa divina inquinaretur, mortalibus passionibus proprias provincias demandasse: iracundiae praecordia: cupidini locum prope diaphragma,

gma, ibiq₃ vim eam quasi furiosum & agreste animal ligaf-
se. quin etiam condidisse pulmones Cordis gratia molles &
ventosos, ut cor ira ardore nonnunquam estuans, refrigera-
tione mitigaretur: simulq₃ jecori, ad excitandam concupi-
scentiam animæ, rursusq₃ sedandam, dulcedinem & amari-
tudinem indidisse. Veriorem tamen existimo sententiam
Aristotelis, Hippocratis, & Theophrasti, amorem, odium
tristitiam, gaudium, & reliquas passiones ex corde prorumpere:
propterea quod Cor sit origo & fons omnium vitaliū
operationum: neq₃ aptiori loco ad conservandam vitam, &
pericula propulsanda naturam eas reponere potuisse. Nolui
autem natura parens, etiam post lapsum, πάλιν quomodocunq₃
in nobis existere: sed quomodolum celestia corpora suas
virtutes transmittunt in inferiora, & ipsa stella serena nocte
colucentes, quasi quidam oculi perpetua vigilia res subluna-
res intuentur: Ita quoq₃ voluit mentem in summo corporis
vertice constitutam, undiq₃ circumspicere, ne quid detrimen-
ti totus homo percipere ex passionū rebellionē possit. Est præ-
terea Intellectus, principium et radix omnis libertatis humanae,
eam ob causam, quod voluntas consulere semper debeat rectam
rationem, quasi regulam suarum actionum: consummata tamē
perfectaq₃ libertas, non est, nisi in voluntate, quæ audita intel-
lectus sententia, hanc ipsam probare potest aut improbare.
Verum nō eodē omnino jure cuncta subjecta videtur voluntati.

Externa enim corporis membra despotico imperio, quo Dominus imperat servis, qui facultatem resistendi nullam habent, cum nullo modo sui iuris sint, coercet. Internas vero passiones politico seu civili gubernat imperio, quo Princeps Reipub. imperat Civibus: qui tametsi legibus obediant, tamen cum liberi sint, aliquid sui iuris retinent, quo ejus imperio resistere possint, ne semper ad nutum ejus voluntati parere cogantur. Nihil nunc dico de divina virtute ac potestate, quae in spiritalibus rebus, hominis voluntatem excitare, inflammare ejusque conatus promovere solet & potest. Neque nunc disputo de sphaeris calorū, possint ne hominis libertatem praepedire. cum sit in confesso apud omnes, voluntati ab astris nullam imponi necessitatem, quamvis influere in illam possint, eamque magis ad unam quam ad alteram inclinare partem: quemadmodum etiam passiones, quae ex corde prodeunt, saepe numero decipere solent voluntatem. Haec de Anima functionibus, praesertim de voluntate dicta sufficiant. Superest A. O. ut quoque de virtutibus, quas diximus fore alteram orationis partem, nonnihil agamus. Aliter definitur Virtus à Theologis, aliter à Philosopho morali.

D. Augustinus sic definit virtutem: Est bona qualitas mentis, secundum quam rectè vivimus, qua nemo malè utitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. Aristoteles sic eam definit: Virtus est habitus in mediocritate consistens, ea
quae

qua ad nos est definita ratione, quasi dicat: Virtus moralis est operatio voluntatis, ad rectam rationem conformata, inter duo vitia media incedens. Juxta illud Horatij:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

De morali tantum hic sermo erit. quæ cum consistat in medio vitiorum, difficilis admodum atq; declivis ad eam patet accessus, ut non nisi pauci arduum illud iter ingredi velint, dehortate præsertim illos ex adverso voluptate, quæ cum vitijs esse solet conjuncta: ut ex litera Pythagora notum est. Ideò rectè inquit Aristoteles: Probum esse, operosum est, difficile, et rarum: Sicuti enim qui à scopo aberrant multi sunt; qui ipsum attingant, pauci; sic qui iter virtutum ingrediuntur. Verùm Adolesc. Orn. non debet vos difficultas illa deterere, qua superata, immortalis gloria vos manet decus: hac enim conditione nunc nati sumus, ut labore atq; constantia, ad summos etiam honores aspiremus. Felix faustaq; est o-vantium vox; at non nisi debellatis hostib. post victoriam in ipso triumpho audiri solet: ex duris quandoq; initijs majoris momenti commoda in nos profecta videmus. Proinde non ob difficultatem negligenda, sed magis propter honestatē in pretio habenda est virtus: difficilia enim quæ pulcra, et turpe admodum est, inquit Isocrates, cum pictor pulcrarum animantium similitudines exprimat, nos majorum nostrorum

virtutes non imitari. Et quid queso prodest, una ex parte An-
nimā exornare scientijs, ex altera vitijs deformare? Lauda-
bilis forsitan est, bene moratū esse absq; philosophia, quā phi-
losophari absq; bonis moribus. Quantus praterea is serius est,
qui sibi ipsi imperare nequit? quale mancipiū suarum actio-
num, quem lenis ira prosternit? quem insurgens Cupido ad
insaniam penē adigit? quem umbra aliqua tanto percellit ti-
more, ut ferē exanimet, ferē occidat misellū. Qui verō instru-
ctus est virtutibus, is neq; in prosperis, neq; in adversis suc-
cumbit: non blanditijs, non minis ullis ab honestate, advocari
potest. Agite igitur Adolescente ingenui, atq; ad virtutis iter
vos jam accingite: Ponite vobis ob oculos majorum exem-
pla, qui optimarum virtutum amore semper flagrarunt.

Veniat vobis in mentem magni illius Alexandri animi
fortitudo animiq; constantia, quem neq; pecunia neq; hostes
expugnare unquam potuerunt. Pietas Socratis, quam multis
ille antea dā vitæ monumentis comprobavit, eamq; tam ho-
minibus quam Dijs testatam reliquit. Clementia Jul. Cæ-
saris, quam etiam hostes sæpē in ipso sunt admirati. Grati-
tudo Augusti Imperatoris, quam declaravit veteranis illis,
qui pro salute sui Ducis, in bello Asiatico multa vulnera ac-
ceperant. Studiū veritatis, de quo Pythagoras. Duo, inquit,
divinitus data sunt hominibus, veritas et beneficentia, quorū
utrumq; cum Deorū immortalīū operibus comparari potest.

Reli-

Reliquum est, Auditores ornatissimi, ut sedulo de studio
virtutum cogitetis, neq³ ab eo, ullis vel blanditijs vos abduci,
vel difficultatibus ullis vos terreri sinatis. perpendite apud
vosmetipsos, num aliquid optatius, dignius, apiusq³ ad vita
humanae integritatem afferri possit? quam videre Rempubli-
cam ita constitutam esse, ut in ea leges, studia, honores, & pie-
tas vel maximè floreant: coramintueri singularem œcono-
miae disciplinam, non in urbibus modo, sed etiam in colonijs,
municipiis, atq³ adeo provincijs universis receptam: sentire
deniq³ illam animorum tranquillitatem in singulis, qua ex
beatitudine seu felicitate, quam in hac vita homines adipi-
scuntur, promanare solet. qua omnia haud alio pretio, prater-
quam virtute comparantur. Hanc pati nolite, Auditores,
à vobis diutius abesse: qua non modo id habet in se boni, quod
felicitatem summamq³ bonum in Rempub. importet: verū
etiam hominibus levissimis omnem adimat stultitiam. nam
cum omnibus horis semper aliquid fieri videmus, aut audi-
mus: etiam, qui natura improbissimi sunt, assiduitate vir-
tutum aliquid flagitiorum deponunt, ut ad frugem redire pos-
sint. sed, quemadmodum virtus pueritiā erudire, adolescen-
tiam promovere, senectutem coronare felicitate solet: ita
rursum vitia omnem aetatem fedare, bonosq³ mores corrumpere
nituntur. & cum natura magis simus proclives ad vi-
tia, quam ad virtutes: ea propter elaborandum maximopere
nobis

nobis est, *Auditores*, & pro virili agendum, ut devictis de-
bellatisq; immanissimis vitiorum hostibus, ad tranquillum
pacatumq; domicilium virtutum, hoc est, ad felicitatem per-
tingamus. sola vitia sunt, *Aud.* quæ Intellectus voluntatisq;
vestra arcem expugnare atq; evertere moliuntur; quæ vos
summa felicitate orbare; quæ vos humanitate exuere, ac be-
stijs similes esse volunt: vestrum nunc est, *Aud.* monstra illa
omnium scelerum, illas furias omnis turpitudinis, pradones
libertatis vestrae, proditores pacis universa, urgere, premere,
profligare. Virtutibus si ornati armatiq; fueritis, non tantū
mania urbem, aut clypeus militem, quantum ille, adversus
flagitiorum nefarios conatus, vos defendent. Vitiorum iter
si sequamini, sceleratissimorum hominum impulsu jaculis,
hortante vos libidine, cogente voluptate, in Summum Ma-
lum, vestra cum summa ignominia irruetis. pro extirpan-
dis igitur eijciendisq; vitijs, pro retinendis pulcherrimis sua-
visimisq; Virtutibus, *Auditores*, manibus pedibusq;
laborate, ut & vobis honori, & amicis utilitati,
& Reipublicæ emolumento esse
possitis.

D I X I.

ULB Halle


3


002 068 796



[Handwritten blue ink scribble]







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

SECUNDA.

LECTO VIR.

EST, DE ANIMA
UNCTIONIBVS, QVARVM
Sensuum, Memoræ, In-
oluntatisq; operatio
floreſcit.

Habita

TÆRMONTIO,
Sup. A. Al.

MA ACADEMIA VVI,
rio Majore, Collegij novi,
e Augusto.



BERGÆ,

Mulleri, Anno 1597.